HINCMARUS REMENSIS. BEDA VENERABILIS. WALAFRIDUS STRABO. ISO SANGALLENSIS. BEDA VENERABILIS. HERMANNUS CONTRACTUS. HIERONYMUS

Mitte 12. Jh. Seite 27r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36571
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



ecclesie unus eorum altercando uenit ad porcos suos quos in eandem siluam
ad pastum miserat. inter quos lupum inuenit. Quem ascendens equum ue
lociter insecutus est. et uolens eum percutere equo expauescente colli
sit caput ad unum fustem de ipsa silua. ita ut cerebrum illius in terram
defluxerit. et mortuus est. Frater uero eius concite pergens in partem alteram.
peruenit ad quandam petram et dixit. Omnibus notum sit. quia usque ad
hanc petram est silua impris. Et percutiens eandem petram dolatura quam
portabat in manu. exilierunt ab illa particule in oculos eius et ex
cecatus est. Sicque ambo receperunt mercedem presumptionis et mendacii sui.

Q VIDAM VIR nobilis de territorio niuernensi xxxi.
obtentis reliquiis beati Remigii. oratorium eius in honore in propri
etate sua edificauit. ubi dominus multas uirtutes per merita ipsius sancti sui
ostendit. Cum autem defuncto ludowico imperatore anquitani gentilica
mobilitate absque iugo principis prout quisque poterat se offerre et ad
inuicem impugnare. ac per contiguos pagos debachare ceperunt. pau
peres homines substantiales suas in ecclesiis reponere studuerunt. Vnde
confisi opinione uirtutum que ibi fiebant. ad saluandum sua in eodem
oratorio quique poterant certatim reposuerunt. Audientes uero predones
idem oratorium multis plurimorum opibus refertum. aggressi sunt eas diripere.
Quorum unus obseratum ostium pede percussit ut seram frangeret. et mox
eidem ostio pes eius adhesit et resupinus presumptor in terram cecidit. Quod
cernentes alii fugierunt. Ipse autem miser cruciatu cogente. cum maximo
eiulatu cepit culpam suam fateri. et cum lacrimis amarissimis profiteri quod
si dominus per merita sancti Remigii pedem illius ab ipso compede solueret. numquam
ulterius de ipsa uel alia ecclesia quicquam tolleret. uel tolli quantum ex ipso esset
ullomodo consentiret. Caballum quoque cum sella et alia que potuit ad ean
dem ecclesiam donauit. et sic per confessionem et lacrimas atque professionem
et uotum pes eius ab ostio cui inheserat est solutus. Verumtamen postea de
ipso arido pede claudus permansit. usque dum putrescente cruore ac